


18  
46





1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.



1643.

1. Biccus, Gregorius: Commentationis ad locum juris  
in l. possideri 3 § ex contrario 5 ff de acquir. vel. amittend.  
possession.
2. Biccus, Gregorius: Commentationis ad locum juris  
in l. possideri 3 § ex contrario 5 ff de acquir. vel.  
amittend. possession. partim II membrum 4.
3. Buccerus, Jo. Huricus: Explicatio Maecenas seu Consilii  
pro regis. in Dione l. 52.
4. Muegus, Joh. Corvus: Explicatio l. quodcumque 15 C  
de rei vind.
5. Barovis, Martinus: De mora debitoris
6. Rehhan, Johannes: De tutela et cura, ad methodum  
Inst. j. civ. tractata.
7. Schizius, Melchior: De respiratione III
8. Schizius, Melchior: De respiratione II
9. Schizius, Melchior: De respiratione I
10. Tabov, Joh. Vito: Analysis libri III. Cod. lit. 20: Ubi de  
hereditate agatur vel ubi heredes scripti in possessionem  
nulli postulare debeant.

1643.

1. Taber, Johan Wllo: De jure emphyteutico occasione  
lit. digestor: si ager neeligalis et. Cod. de jure emphy-  
teutico

1644.

1. Breizer, Johann: De jure retentionis
2. Gumbt, Johann Sebastianus: De jure superfluario
3. Marci, Johann Christoph: De obligatione institorum  
sive factorum, an et quatenus illi ex contractibus nomine  
dominorum celebratis in sua persona et bonis propriis  
tenentur
4. Schroeder, Henricus: De compensationibus
5. Taber, Johan Wllo: De datatio jure Saxon.  
et abasum in imperio provincialium recepto
6. Taber, Johan Wllo: De jure immunitatis et impromis  
a gravi metatorum onere.
7. Taber, Joh. Wllo: De praesidiis et palca vis dnto  
rum per calamitates bellicas ad incitas redatorum

1644

8. Taber, Joh. Vlt. : De expensis
9. Zeller, Johanns Alricus : De charta blanca
10. Ziegler, Hieronymus : De descriptione appellationis

1645


1. Baderus, Wolfgang Theodorus : De comata punita
2. Frid, Johannes Theobaldus : De jure viduitatis
3. Rehran, Johannes : De injuriis
4. Reichhelm, Sigismundus Sigfrid : De cautionibus
5. Taber, Joh. Vlt. : De modo usurarum
6. Thebor, Joh. Vlt. : De annuis redditibus.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



*[Faint, illegible handwritten text visible on the left edge of the page]*







COMMENTARIUS  
AD INGENIUM JURIS  
PUBLICUM

PARTIS POSTERIORIS  
TITULUS


DE ORDINE MAGISTRATUS  
IN CIVES ROMANA REIPUBLICA  
TERTIUM PARTIUM

GREGORIO XIOTO, BUDISSINO  
ILLUSTRISSIMO

JOHANNI PRINCEPS  
HOLNORUM

SECRETUM  
JANUARIUS ANDREAE  
MDCCLXXIII





EXPLICATIO

331.

*L. Quotiens. 15. C. de Rei Vind.*

QUAM

1643,4.

Divina favente gratia

EX DECRETO ET  
AUCTORITATE NOBILISSIMI  
ET AMPLISSIMI Jctorum Ordinis in Illustri In-  
clitæ & liberæ Argentoratensis Reipublicæ  
Universitate

PRO SUMMIS IN UTROQUE  
*Jure titulis & honoribus Doctoralibus  
consequendis*

Publicæ & solenni disquisitioni subjicit

JOH. CAROLUS MÜEGIUS  
Argentoratensis

*Ad diem 1. Jun. Anno M DC XLIII.  
horis locoque consuetis*



ARGENTORATI,  
Typis JOANNIS PHILIPPI MÜLBII,  
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Anno M. DC. XLIII.



V I R O

*Magnifico, Amplissimo, Consultissimo*

D O M I N O

GEORGIO GOLLIO

U. J. D. SACRI PALATII COMITI,

Augustissimæ Camerae Imperialis Advocato

& Procuratori seniori, multorumque Ele-

ctorum, Principum, Comitum & Statuum

Imperii Consiliario, Civitatumque Impe-

rialium Syndico meritissimo, Socero

ac Parenti honoratissimo

*Cum thesibus hisce Inauguralibus*

*Obsequium suum dedicat*

Johannes Carolus Müeg.



L. 15. C. de Rei Vindicatione.

**Q**uoties duobus in solidum prædium jure distrahitur, manifesti juris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiozem. Si igitur antecedente tempore te possessionem emis- se, ac pretium exolvisse apud Præsidem provin- ciæ probaveris: obtentu non datorum instrumentorum expelli te à possessione non patietur. Erit sanè in arbitrio tuo, pre- tium, quod dedisti, cum usuris recipere: ita tamen, ut perceptorum fructuum ac sum- ptuum ratio habeatur; cum, & si ex causâ donationis utriusque dominium rei vindice- tis, eum, cui priori possessio soli tradita est, haberi potiozem conveniat.

i. **F**requens & quotidiana est hujus legis materia; nullæ enim hodiernis temporibus judicum subsellia magis fatigant quæ- celæ, quàm hæ, quæ de unâ re (immobili præsertim) pluribus in solidum vel obligatâ vel distractâ proponuntur: Dum autem ex hâc causâ quisque, cui ea distracta, sibi dominium asserere inten- dit, quod tamen non nisi uni (duorum enim unius rei in solidum dominium esse non posse, Celsus filius ait apud Ulp. in l. 5. §. ult. ff. commod. quippe cum in hâc proprietatis quæstione id quod meum est alterius non sit, l. 30. §. 1. ff. de Except. rei jud.) competere

A 2

potest:

potest: maximo bono publico, ne scil. dominia rerum in incerto vagentur. l. i. ff. de usurpat. quis hoc casu alteri in dominio præferendus atq; solus dominus dicendus sit h. l. declaratur, Hæc utilitate hujus legis perpensâ, permotus præterea clarissimorum Jurisconsultorum autoritate, Sichardi potissimum, qui hanc legem *pulchram sed difficilem*, tum & Giphanii qui eam *ut nobilissimam omnium sub tit. de R. V. positarum* cõmendant, & ego, cum pro more hujus Academiæ laudabili de materiâ quadam disquisitioni publicæ subjiciendâ deliberarem, eam mihi tractandam & explicandam suscepi, non quidem anxiam, & ad veterum morem astrictâ methodo, cum & ratio temporis angustioris & instituti id non permetterent, sed liberiori & solutâ.

2. Summa legis hæc est: Re duobus in solidum diverso tempore venditâ aut donatâ, tam in vindicando, quàm in detinendo dominio potior est is, cui priori tradita est; etiam eo, cui priori ex causâ venditionis aut donationis instrumenta sunt tradita. C. l. A l. 6. r. i. §. 9.

3. Inde species facti ita ponenda: Aurelia Philoxena à Titio emit prædium aliquod, id prædiũ deinde Titius vedit Sejo, & Aureliæ quidem possessionem prædii, Sejo verò instrumenta ejus tradit. Vindicat id prædium Sejus ab Aurelia, & instrumenta in vim probandæ suæ intentionis producit. Aurelia, precibus Imperatoribus oblatis petit se in possessione prædii manu teneri: Rescribunt Imperatores si se possessionem prius emisse, pretium exolvisse, atque eam traditam accepisse probaverit, licet instrumenta ei tradita non sint, eam à possessione expelli non debere. Fore tamen in arbitrio ejus, num ipsum prædium retinere, an vero illud, recepto pretio cum usuris, habita tamen invicem ratione perceptorum fructuum ac sumptuum restituere velit.

4. Scinditur autem commodè in tres partes, quarum prima continet thesin seu generalem definitionem juris, tanquam rationem decidendi in facti specie propositâ his verbis: **Quotiens duobus in solidum prædium jure distrahitur, manifesti juris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiozem.**

5. Ubi

5. Ubi verba **In solidum** innuunt quæri de casu quando totum prædium duobus separatim, ut in l. 9. §. 4. ff. de Publ. in rem act. sive diversis temporibus & contractibus distrahitur. *gl. h.* si enim à duobus simul, id est eodem contractu, eadem res emitur, sive id fiat affectione societatis, sive citra eam, in communionem ii inciderent. l. 31. ff. pro socio. atque tum non in solidum, sed pro parte indivisâ singuli emisse censerentur. Quia cū dicimus rem esse communem duorum, non hoc significamus, singulos esse in solidum dominos ejusdem rei, Natura enim hoc non patitur, sed hoc intelligimus, singulos habere partes ejus rei, & quidem indivisas, quæ magis habentur animo quam corpore. Sive, ut verba *supr. d. l. 5. §. fin. ff. commod. mea faciam*: non quenquam partis corporis dominum esse: sed totius corporis pro indiviso pro parte dominium habere.

6. Ex quo dubium redditur quomodo verba, **Jure distrahitur**, hîc intelligenda sint, cū enim is, qui duobus rem eandem diversis contractibus vendiderit, pœnâ falsi coërceatur. l. qui duobus. 21. ff. ad l. Corn. de fals. cur hic jure fieri dicitur, quod tamen pœnam meretur? argum. l. 4. C. ad L. Iul. de adult. Hîc variè laborant interpretes & in primis gloss. Accurs. quæ verbum **Jure** explicat id est *bona fide, non dolo malo*, prout Neratius loquitur. l. 31. §. ultim. ff. de act. empt. Cujus speciem tradit Cujac. lib. 18. observ. 31. veluti si venditor in posteriori venditione neque dixisset rem alii venditam esse, neque etiam tacendo dissimulâisset priorem venditionem; quibus casibus, priori quidem falsi, d. l. 21. posteriori verò stellionatus crimine teneretur. argum. l. 3. §. 2. ff. de crim. stellion. & l. 36. §. 1. f. ff. de pigner. act. (à quo tamen dissentit C. l. A. l. 48. t. 10. n. 20. & Hillig. in Donel. enucleat. l. 4. c. 17. in not. l. C. qui utroque casu falsi crimine venditorem teneri putant) sed ingenuè confessus esset, se hereditate dominum effectum vendere posteriori fundum, quem, cū falso opinaretur se esse dominum priori vendiderat. Sed cum hæc explicatio strictior sit & ad venditorem non dominum unicè & præcipuè pertinens, hîc locum sola habere non potest, quippe cum hæc lex ex prima suâ latione, prout ea in Codicem Gregorianum l. 3. §. 4. relata est, de domino vendente tantum locuta sit.

A 3

7. Alia

7. Alia deinde glossæ explicatio est, quòd quidem in vendentis præjudicium duobus jure, sc. respectu contractus, distrahat, cum venditor post primam venditionem ante traditionem adhuc dominus permaneat. *l. ii. C. de act. empt.* atque ita validè alienare possit, si præsertim secundum Salicet. h. & Obrecht. *disput. de R.V. th. 404.* & reliqua intervenerunt, quæ in contractu venditionis sunt necessaria, resque talis præterea fuerit ut **Jure** id est lege non prohibente distrahi dici possit, secundum Cujac. *in recit. ad l. 9. §. si duobus. ff. de Public. in rem act.* puta quod non sit exempta commercio aut omni aut certo. Quâ ratione & jure duobus distractum prædium dici, & nihilominus falsi crimine venditor, (nisi prior emptor in solutione pretii cessaverit, ut post Odofr. *in l. venditor. 21. ff. de hered. vel act. vend.* volunt Bald. Salicet. & Jason. h.) teneri, atque etiam civiliter, ob contractus fidem fractam, conveniri potest. *l. 6. C. de hered. vel act. vend.*

8. Verba illa, **Cui priori traditum est**, indicant loqui legem de casu quando utrique prædium traditum est, si enim alterutri (prout quidam volunt) tantum traditum fuisset, tum non rectè aut propriè diceretur traditum priori, quod uni soli traditum esset: neque hîc distinguitur inter traditionem veram vel fictam: cum enim fictio juris in casu ficto tantundem præstet, quantum veritas in casu vero, æquè hoc procedere putandum est, cum per actum fictum possessio translata est, puta vel per instrumentorum traditionem. *l. i. C. de donat. l. Maria. 49 ff. solut. matrim. l. 44 §. cum qui. 5. ff. de leg. 2.* Vel per constitutum possessorium, ut tenent Jason. *h. l. num. 14.* Roland. à Valle *vol. 1. cons. 19. n. 25.* & Carpz. *Jurispr. for. constit. 33. defin. 15.* vel per signationem. *l. 14. f. ff. de peric. & commod. rei vend.* Jason, *ad h. l. n. 18.* & alios modos.

9. Quod deinde dicitur **In detinendo dominio**, Baldus explicat: *in obtinendo*, rationem reddit Jason h. quia dominium, cum sit juris, detineri propriè non possit, Glossa verò ex antiquo Glossatore Johanne vocem *dominii* pro *possessione* accipiendam videri ait h. & in *l. 2. C. de probat. & l. 78. de V.S.* Magistamen cum Ampl. D. Bitsch. *p. m. in pral. publ. ad h. l. dixerim* eam pro re ipsâ cujus dominium prætenditur, positam videri, quomodo Jul. Pac. eam etiam interpretatur *in l. 2. C. de probat. nu. 18.* idque argu-  
mento



mento d. l. 2. in quâ apud eum, de cujus jure omnino dubitatur, dominium, h. e. res ipsa de cujus proprietate quaritur, remanere dicitur, quemadmodum & in ipsâ h. l. n. ut & alias in jure, ut §. 5. l. de act. dominium vindicari dicitur, non quod quis proprietatem in se transferri velit, hanc enim jam antea se habere intendit, sed quod rem ipsam sibi restitui petat.

10. Secunda pars continet ipsam hypothesein sive facti speciein, una cum decisione ejusdem, supra à nobis §. 3. relatam. Ejus verba hæc sunt: Si igitur antecedente tempore possessionem emisse, ac pretium exolvisse apud Præsidentem provinciæ probaveris, obtentu non datorum instrumentorum expelli te à possessione non patietur. Erit sanè in arbitrio tuo, pretium, quod dedisti, cum usuris recipere: ita tamen, ut perceptorum fructuum ac sumptuum ratio habeatur.

11. Ex verbis antecedente tempore, patet casum h. l. non esse quando posterius alteri venditum, prius traditum fuisset prædium, sed eum quando illi, cui prius traditum, prius quoque venditum fuisset; neque tamen hæc est ratio decidendi in hac lege, quod ipsa verba prima facie præ se ferre videntur; cum ex eo, quod antecedente tempore se emisse probaverit, inferatur eam à possessione expellendam non esse.

12. Sed hic notandum verbum **Emisse** non tantum de ipso contractu seu conventionem, qui per se quidem perfectus est, simul atque de re pro pretio commutandâ convenerit, sed etiam de consummatione contractus h. e. de ipsâ traditione esse accipiendum, quasi diceretur, ex causâ emptionis traditam accepisse: ut notat etiam gl. h. idque probatur tum ex eo, quod ad probationem dominii ex causâ emptionis tria concurrere debent: videlicet ipse contractus, traditio, & pretii exolutio, sive alio modo satisfactio. l. 12. C. de probat. & l. 50. ff. de R. V. Mascard. de probat volum. 1. conclus. 537.

en-  
ha-  
ad-  
ena  
t. de  
onis  
ege  
d l.  
om-  
ra-  
nisi  
n l.  
h.)  
ve-  
  
di-  
est,  
set,  
soli  
am  
tet,  
est,  
ru-  
im.  
te-  
pz.  
ric.  
  
O,  
mi-  
ex  
en-  
nen  
o re  
Jul.  
gu-  
nto

clus. 557. n. 1. & 2. tùm ex ipso hoc textu. Ex eo l. quòd aliàs hæc hypothesis à præmissâ thesi aberraret, è qua tamen per particulam, igitur, infertur. II. Ex eo quòd mox dicitur expelli de possessione non patietur: quo etiam significatur rem emptam fuisse ei traditam. III. Ex eo quòd de fructibus ex prædio perceptis & sumptibus in id factis dicitur. Et denique IV. ex eo quòd etiam in postremâ parte legis donatio non solùm conventionem & promissionem, sed donationem traditione consummatam significat.

13. Per verba **pretium exolvisse** confirmatur regula illa aliàs tradita, quæ singularis in contractu emptionis & venditionis, quòd scil. licet ex hæc causâ res tradita fuerit dominium tamen non transferatur, nisi vel pretium solutum, vel alio modo satisfactum, vel fides etiam de eo habita fuerit, §. 41. l. de R. D. l. 19. l. 53. ff. de contrah. empt. l. 5. §. 18. ff. de tribut. act.

14. Ex verbo **probaveris** dubium oritur cur hic ea quæ possidet, titulum & causam suæ possessionis probare teneatur, cum tamen aliàs, possessori necessitas probandi non incumbat, sed etiam si ipse nihil præstiterit, petitore in probatione cessante aut deficiente dominium apud eum remaneat? l. 2. C. de probat. §. 4. l. de interd. l. 24. ff. & l. ult. C. de R. V. fac. l. 4. C. de edend. sed respondetur in casu h. l. secundum emptorem ceu petitorum intentionem suam implevisse videri, per productionem fortè instrumentorum (quorum traditione ut supra dictum res ipsa tradita fingitur, atque per hanc dominium acquisivisse l. 1. C. de donat.) Cùm igitur possidens ad hanc elidendam, exceptionem prioris nempe traditionis opponere necesse habeat, eam quoque utpote cujus respectu agere & actrix esse videtur, l. 1. ff. de Except. probare cogitur.

15. Quoad verba quæ sequuntur **Obtentu non datorum instrumentorum** gl. 1. verbum non datorum reddit non factorum, atque hunc sensum habet, explicante Jafone ad h. l. n. 45. quòd licet instrumentum super contractu non sit factum, per hoc tamen non impediatur translatio domini, quæ sententia licet per se vera sit, cùm instrumenta non sint de substantia contract. l. 17. C. de pact. & in his res non gerantur. l. 12. C. de probat. quia & sine his quod actum est valet. l. 4. ff. de pigner. & hypot. atq; etiam his non intervenientibus venditio facta rata manet l. 10. C. de fid. instrum. probabilius tamen est, alteram gl. explicationem huic loco magis

magis convenire, quàm verbum instrumentorū accipitur pro instru-  
 mentis emptionalibus seu sui tituli, quæ vëditor habebat (quæ in l.  
*ult. ff. de pigner. act. vocantur instrumenta auctoritatis*) id est documen-  
 tis literariis, quibus origo, dominium, & titulus rei venditæ proba-  
 tur. l. 12. C. de pign. & l. 24. C. de fideicom. quæ cum hâc priori emptori  
 tradita non sint, posterior emptor, cui ea fortè tradita fuerunt, con-  
 tendisse videtur, ipsam traditionem, priori factam, plenam & per-  
 fectam non fuisse. Et hæc est ratio dubitandi hâc in lege.

16. Ex qua invaluit opinio quorundam, quasi venditor ne-  
 cesse haberet etiam ipsa instrumenta auctoritatis emptori tradere,  
 quam hodieque à multis, in Curia & palatio versantibus, perperam  
 teneri ait Salycet. ad l. 48. ff. de act. empt. quæ tamen opinio ex hâc  
 lege non probatur: sed potius reprobatur ex eo ipso quòd hæc  
 dubitandi ratio rejicitur, sicut etiam ex d. l. 48. ff. de A. E. & l. 24. C. de  
 fideicom. manifestum est, venditorem quidem ad ostendenda vel  
 exhibenda instrumenta auctoritatis emptori teneri si opus sit,  
 non etiam ad tradenda ea.

17. Verbum Possessionis ter in h. l. occurrit: ubi  
 priori loco accipiendum est pro re ipsa immobili possessâ, & qui-  
 dem in specie pro prædio; sicut aliàs quoque pluribus locis juris  
 nostri usurpatur. ut l. 11. de alien. jud. mut. caus. l. 5. §. 10. ff. de reb. cor. l. 2.  
 C. de probat. hâc verò & infr. ibi possessio soli pro detentione cum ani-  
 mo sibi habendi, sive, cum affectione insistendi suo nomine & si-  
 bi ponitur; quæ maximè propria & frequentior in iure hujus ver-  
 bi significatio est, attestante Cujac. l. 9. obs. 33.

18. Pretium quod dedisti cum usu-  
 ris recipere) Dubium hic movet gl. quomodo emptor, cui  
 priori res fuit tradita, contra vënditorem ad restituendum pre-  
 tium evictionis nomine agere possit, cum tamen ei res per senten-  
 tiam aut actualiter nondum fuerat evicta, quod tamen ut regres-  
 sus contra venditorem locum habeat, vel maximè requiritur. l.  
 16. ff. de R. V. l. 37. pr. ff. de Eviçt. l. 16. ff. eod. Et respondet quidem gl.  
 hâc non agere emptorem ad pretium repetendum, sed id per offi-  
 cium judicis excipiendo repetere: hoc verò cum à significatio-  
 ne verbi recipere longiùs recedat, quod neque agere nec petere si-  
 gnificat, magis arridet Salyceti explicatio, in casu h. l. posteriorem  
 videri priori pretium obtulisse, quam laudat & amplectitur etiam  
 Ampl. D. Bitsch. in prælect. ad h. l.

E

19. Ut

19. Ut perceptorum fructuum ac sumptuum ratio habeatur) Quod hic de ratione usurarum pretii soluti, & sumptuum cum fructibus perceptis invicem habendâ dicitur, id ita intelligendum videtur, ut sc. quatenus in eandem summam concurrunt, ea invicem compensentur, quatenus verò usuræ pretii atque sumptus summam perceptorum fructuum excedunt, superfluum usurarum & sumptuum posterior emptor priori præstet, exemplo. l. 43. & 65. ff. de R. V.

20. Cum autem fructus percepti (qui sunt fructus à solo seu corpore separati) duplicis sint generis, alii consumpti, alii extantes: quaeritur, an de utrisque an verò de alterutris tantum hæc accipienda sint? Pro extantibus, quòd scil. eorum tantum ratio habenda sit, faciunt ii loci juris nostri, quibus emptorem possessorem bonæ fidei consumptos lucrari & suos facere, ut §. 35. l. de R. D. §. 2. l. de off. jud. l. 40. & 48. ff. de A. R. D. & extantes tantum restituere dicitur. l. 22. C. de R. V. Pro utrisque verò facit tum generalitas, tum & ea ratio quòd cum posterior emptor usuras à tempore soluti pretii omnes præstare compellatur, æquam videatur, ut prior emptor, fructus quoque perceptos omnes, sive ii adhuc extent, sive consumpti sint, compenset, ad quod facit etiam quòd emptor, cui actione redhibitoriâ venditor condemnatur, omnes quoque fructus, ex re emptâ perceptos, restituit, & vicissim pretium cum usuris & impensis recipit l. 1. §. 1. l. 23. §. 9. l. 29. §. 2. l. 31. §. 2. ff. de adilit. edict.

21. Sumptus hæc intelligendi sunt tam ii, qui quaerendorum, cogendorum & conservandorum fructuum gratiâ fiunt: ante enim hos deductos non intelliguntur fructus. l. 36. §. ult. ff. de hered. pet. Quàm hi, qui circa rem ipsam facti sunt. quos necessarios & utiles deducit, exemplo emptoris, qui rem sub pacto de retrovendendo emptam venditori ejusve heredi, aut jure retractus à lege vel consuetudine quæsito, conventum pretium offerentibus restitunt. arg. l. 39. §. 1. ff. de minor. l. 16. f. C. de prad. min. Constit. Frid. de jure reip. §. verum si intra Tiraq. de retr. convent. §. 17. gl. 1. n. 3. & seqq. Gail. l. 2. obs. 19. nu. 3. An & voluptuarios? ita videtur, quia in ejus arbitrio est rem ipsam vel retinere vel restituere.

22. Tertia pars hujus l. continet confirmationem decisionis à simili exemplo donationis, his verbis: **Cùm si ex cau-**

336  
4  
sã donationis utrique dominium rei vindicetis, eum, cui priori possessio soli tradita est, haberi potio-rem conveniat.

23. Eiusq; hic est sensus: quemadmodum si una eademq; res diverso tempore duobus in solidum ex causã donationis tradita sit, & postea casu quodam possessio amissa, ad aliumque translata fuerit, uterque autem donatarius rem eandem vindicet, Jus & æquum est in vindicando dominio potio-rem esse eum, cui priori res ex causã donationis fuit tradita: ita etiam si una eademque res diverso tempore duobus in solidum ex causã venditionis fuit tradita, jus & æquum est in detinendo dominio potio-rem esse eum, cui priori ex causã venditionis fuit tradita.

24. Ex causã donationis ) Necessariò hic rursus ponendum est, donationem traditione fuisse consummatam, cum sine traditione obligatio quidem adversus donatorem, non etiam dominium rei donatæ acquiratur, perinde ut in alia quavis stipulatione, vel etiam in emptione venditione. l. 35. C. de donat. & § 2. l. eod.

25. Utrique dominium rei vindicetis ) Casus hic is esse videtur, quòd uterque, & prior & posterior donatarius, & cui priori aut posteriori traditum erat prædium, possessionem ejus amiserit, ad aliumque ea translata fuerit, atque ex hac notandum, non solum tum, cum à se invicem duo emptores aut donatarii dominium, id est rem ex causã domini, vindicent, hoc jus obtinere: sed etiam tum, cum uterque à tertio possessore.

26. SOLI verbum hic non pro dativo adjectivi *solus*, quasi uni soli possessio tradita fuisset, accipiendum, quod tamen velle videtur Giphani. in com. C. ad h. l. Sed esse genitivum substantivi *Solum*, ut intelligatur fundus seu prædium.

SOLI DEO GLORIA.

Nobili



NOBILI, PRÆCELLENTI,  
atque Eximio Dn. JOHANNI CAROLO  
MIEGIO, J. U. Doctorando dignissimo,  
olim contubernii suavitate, nunc affinitatis  
necessitudine mihi conjunctis-  
simo.

MIEGIUS ascendit cathedra lina secundum,  
Dirige tu gressus, CHRISTE benigne, pios!  
Tuque THEMIS, vittata comam, redimita capillos,  
Illius exorna fronde decente caput.  
Sic meruit pietas, candor, durique labores  
Undique perpeffi præmia tanta volunt.  
Scilicet hoc olim prædixi haud vanus aruspex,  
Dum sol exoriens vidit & occiduis  
Nocturnâ Hunc versare manu versare diurnâ  
BALDUM, perque sacram carpere jura viam.  
Sic faciet THEMIS alma, scio; Themidosq; Sacerdos  
REBHANIUS meritis digna brabeia parat.  
MIEGIUS in patriæ vigeat spes certa salutem,  
Præclaro SOCERO gaudia multa ferens!

Hoc


magnum amoris exile monumentum  
posui,

Gregorius Biccus U. J. D. Prof. Pandect.  
Publ. h. t. Colleg. Jurid. Decanus.


X 2615889

VD17









EXPLICATIO  
*L. Quotiens. 15. C. de Rei Vind.*

331.)

QUAM

1643,4.

Divina favente gratia

EX DECRETO ET  
AUCTORITATE NOBILISSIMI  
ET AMPLISSIMI Jctorum Ordinis in Illustri In-  
clitæ & liberæ Argentoratensis Reipublicæ  
Universitate

PRO SUMMIS IN UTROQUE  
*Jure titulis & honoribus Doctoralibus*  
*consequendis*

Publicæ & solenni disquisitioni subjicit

JOH. CAROLUS MÜEGIUS  
Argentoratensis

*Ad diem 1. Jun. Anno M DC XLIII.*  
*horis locoque consuetis*



ARGENTORATI,  
Typis JOANNIS PHILIPPI MÜLBII,  
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Anno M. DC. XLIII.